DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XI. MARTII.

( ) **M. DIONYSIO LE SOVBS** Doctore Medico Præſide. ( ) 1039

Eſt-ne Borealium inſalubris Edacitas?

NATVRAM ſi ducem ſequaris nuſquam aberraueris; ὀρθὸς illa λόγος ſed ἄλογος quæ brutis pro Magiſtra & Medicina; vni homini iniquiore prærogatiua mentis ſępiùs indigniùſque mancipio venit. Huic ideò ſalutis Ars primum cœpit eſſe, quæ eruditis nec priùs gulæ creuit exemplis quàm vitæ peccatis, quibus inde miſerrima præ brutis conditione vnus penè obnoxius vitam cauſarius trahit: adeò ampla patet illi vndique ſeges calamitatis. Totum nempe ab ortu in querelis, exarmatum, expoſitum iniuriis non tam durè vexat & excipit commune alioqui cum cæteris maleficium ambientis, quàm victu ſponte quæſitus vixque νόμῳ προσφυλάξᾳ redimendus error: at mehercule omninò non futurus ſi hanc benè monentem auſcultaret, ex cuius lege & iure ipſa iugis licet, innocens tamen in aliis edacitas, nil quicquam de viuacitatis dote ſingulari vel ſolidæ valetudinis gratia ſubduxit, quanquam inter ferini pabuli noxas vitæque vecticulariæ alieno arbitratu naturæ ingratijs labores ſuſtinendos: cùm interim nihil non vitij nobis ſolis gulæ induſtriæ ſtudia inſitiua fecerint.

OMNIBVS quidem viuentibus alimenti neceſſitas prima, animali potior, homini cuius ὁ αἰὼν ἐπαλλήλως ſumma; neque enim illi datum comperendinare aut tam moleſti creditoris nullo non tempore appellantis ſolui nexu, à quo nec τῶν φωλευόντων genus immune; ſic irrequietus iſte πληρώσεως & κενώσεως æſtus tranſuerſum egit hominem cœlo natum, addixit ventri ac veluti ἄγελον θρέμμα πρὸς φάτνῃ alligauit, vnde quod æquum modo, ſibi trahunt è vicinis partes vltimæ, quibus exhauriri fuit primum, alterum appetere, mox vbi annonam ſingularum auiditas incenderit, vacuum penum inteſtina μυζῶσι perfodi cõmunis penuriæ admoneri, vrgeri, prenſari ſe quiſque ſentiat. Hunc ſenſum famem dicimus calidi ſicci non appetitum, ſed affectum quem excipit vltimò appetentia animalis, non ex alendarum partium æſtimanda mole, ſed priuata nutritiarum forma, caloris qui igni σύστοιχος luculentiore vel auidiore foco, & quod vix credas, interdum pauperiore; ex quo famis ſenſum ſæpe fallunt protolluntve plures in Biſulcis ventres, piſcibus prolobi, auibus ingluuies, animalium ſapientiſſimo varij plexus inteſtinorum, ſeu totidem edacis importuniuſque trahacis ventris pedicæ, qui ſecus auido & iugi morſu torquet ἀφυέντες, piſcium genus omne, homines quin-etiam θερμοκοιλίους, ψυχροσάρκους, Pomiliones, ὑδροπότας, λιχνοβίους, quibus legitimæ edacitatis prima elementa priuata indoles moduſque inſiti caloris dedit.

CVIVS halituoſi & blandi vis moderatior temperatiorque non tantùm oſtenderet auiditatis in pueris, niſi plenus his naturalis potentiæ vigor, majoraque perennis effluuij damna vberiorem alimenti commeatum ſtudioſiùs ſollicitarent, neque tum ipſo ferendum ætatis flore quum acriùs exarſit niſi in μεγαλοσπλάγχνοις. Nuſquam tamen viget ille fœlicius, vitamque beat magis, qui ſine aduerſario ſolitus marcere quàm quum ambientis odiis exercitus, vi inimici frigoris erigitur, ac naturæ ſtatiuis impiger aſſiduuſque operi coërcitus continetur. Vnde per Brumam dum res naturæ temporaria vaſtities triſti ſpecie occupat, ipſe nihilominus auctior fundique dominus quod penſi eſt meliùs curat: tunc in ſpem meſſis vberioris cerealibus datum καρκινοῦσθαι, ventreſque calidiores, quicquid eſt naturalis ἐργασίας bonæ frugi cumulatius rependunt. Hinc τὰ πρῶτα naturæ ἀφυλαδεσμοῦσι ampliata, ne tum quidem tempeſtiuior edacitas corruperit, cuius lege ſtetit: ſic vt Borea flante, auſpicato omine βορέᾳ Hygeiæ litet: quæ mollibus Fauoniis, vernoque inimica tepori, ardente cœlo, infeſto morſu Caniculæ languet planè ac emoritur. Eadem terræ plagas cœleſtium corporum ſors regit: quæ veris perpetua ridet indulgentia, incolas animi corporiſque ἐκθηλύνωσι malè mulcat: ſecùs videas bene habito corpore, integro ſucco, florido colore, fœlici mole & proceritate εὐτραφῆς, maſculis lacertorum toris ſpectabiles, ἀνδρείους καὶ εὐψύχους, qui αἰσχύνειν frigidis ventis perflatam multa præſtrictam hyeme regionem colunt Angli, Scoti, Dani, Sueci, Sarmatæ, Scythæ, Tartari.

HYGIEINES Theorema ὑγιὲς, τὸ μέτρον in alimento ſeruari oportere: id verò definire Artis nimium ſibi ſumentis non fuit, ſed eius quæ ſolida regit Naturæ, cuius vnius prouinciæ eſt, vt penuriæ ſenſu duci, ita huius tenere modum ac dare; ſcilicet tantùm reponamus, illa αὐταρκεστή nos admonet, quantùm vitæ vſu calor de Nectare decoxerit: paria ſiquidem vt facias vtriuſque vota ſuperat: quamobrem populari ἀκορίης morbo neſcit illa indulgere, quem ipſi inconſiderato vſu facimus vel miſero inuitamus luxu: neque genium defraudans ſuum comparcere aut deeſſe neceſſariis, eius iniuriæ conſcia ſuſtinet quæ indigentia quàm vbertate grauior ſubit. Salutaris ſit ventris ναρκώδης μονοσιτία, & ad dominæ huius nutum adornata cœna prandio liberalior; alantur ſenes ieiuniis; quæratur miſera in alimento Medicina; ſint languenti ſtomacho parata in fulcimentum veteri recentique arte oxypora. His certè quibus eſt vis natiui caloris conſtans & integra vitæ laborioſæ ſalubriter exercita ſtudiis, diligens inoffenſo munere omnium horarum paraſitus venter ferias eſuriales agitauerit: nihil illi cum Thermopolis aut Balneario commercij, nec ἐμετικὴν opus agere, præſentariam alioqui peiùs ſaburrati ventris ac ὑποφαύλου Medicinam; cùm nil ex analectis reliqui fecerit gentilis auiditas, aut vigor ſuſtinuerit querelarum. Tam gnauus is ille λειτουργὸς Gallica hyeme, noctu, cœlo alſioſo, quàm æſtate, interdiu, æſtuosâ plagâ ignauus. Tam his cœnitare incommodum & graue, quàm illis commodum & neceſſe Eſitare; adeò vtriſque magna fit pars ſanitatis ſincerioribns naturæ ſtudiis agi, vti, non mutare demenſum, ἀγράφοις legibus obſequi, ac domeſticum cuique κρεωδαίτην audire modiperatorem.

IDEO gelidi Borealiſque axis accolas, illa quæ alijs vitio commeritoque ſupplicio venit edacitas & vernacula ἀδηφαγία, hoc vno iuuat maximè, quod ex naturæ præſcripto tam duro creditori bona nomina ad diem fideliùs repręſentet, vireſque ἰσχυρῆς καὶ θελώσεω diætæ par operi accinctus nec ſubinde facturus triſti maraſmo verſuram, cuiuſlibet coctionis, ſingularis artifex ſuperet: fruſtra proinde es, ſi indiligentis operæ certa documenta tum requiras in ructu, qui vſtulatori nidorulentus, acidus inualido, crudus pigro occurrit; vnde ſegni corporis animique grauitate oſcitabundi, ſomnolenti, ſiticuloſi, torminoſi, ἀψικορεσι, ſolenni quiritatu cæteri audiunt. Neque tamen ſi iuſtum caloris attendas in coquendo commenſum, mireris vel inde accuſes, quod εὔπεπτα, iure ἀπὸ τῆς πολυβόρου diuidenda, ab his corrumpi videas, quibus alimentum, δυσπεπτον, ἀκροσαπεῖς nullo negotio aut damno quotidie conficitur, ipſaque modò ὠμοκρεοφαγίη fit innocens, cœnáue terreſtris & ſine fumo, æuo interim & robore præ omnibus pertinaci: adeò vt quò vitioſior olim extitit athlętarum αἰσχροφαγία, eò procliuior in plena iura naturæ vſque hodie vindicanda iſthęc Borealium hominum viuax & ſalutaris edacitas cedat, ſiue tantùm εἰς τὸ εὖ ſiue inſuper εἰς αὔξησιν, aut quod amplius περισσῶσιν deſtinanda ſit, quæ ſola Heroas Hercules, Milones Crotoniatas, Titormos, Herodoros, Lityerſas, Cambletas, Cleonymos, Chærippos, Timocrates, ſtrenuos ἐγχελυγάστορες gulæ abſolueritpeccatis, præ qua funeratam cupediis appetentiam denuò curare, vel grauem ac impeditum ciborum mole ſtomachum liberare illis deinceps nihil foret relictum operæ pretij.

Non eſt ergo Borealium inſalubris Edacitas.

Proponebat Lutetiæ PHILIPPVS DOVTE' Bituricenſis, A. R. S. H. M. DC. LV.